

LEGES ACADEMIÆ

Dei inquit: Primum quærite regnum Dei, & cætera adijciuntur vobis. Et nominatim inquit Deus de cœtu docentium & discipulorum cap. 18. in libro Moysi quarto: Ego pars & hæreditas tua. Sed sæpe alij faciunt sumptus multo maiores, quam opus erat. Et profusio multipliciter nocet moribus, quia fit propter helluaciones & mala sodalitia, Ideo præcipimus, vt Magistri, quibus commendati sunt iuniores, inspiciant sumptus & mores, Ac vt modus seruetur, dicant ciuibus, ne pecuniam eis mutuo dent, nisi adferant autographa Præceptorum, neue sinant cumulari debita, quia senatus consulto Macedoniano, & lege Principis permissum sit, ne creditoribus soluatur, qui sine autoritate præceptorum infirmæ ætati vendunt res non necessarias, aut mutuo dant pecuniam.

N O N A.

OMnibus in rebus modus est pulcherrima virtus, inquit Poëta, Ac modus in cibo et in potu conueniens naturæ corporum præcipuè ad valetudinem tuendam prodest, & utilis est ad perferendos studiorum labores, & ad intentionem in inuocatione Dei, & in omnibus actionibus. Manifestum est etiam sæpe ruer ebrios in pugnas, quarum tristissimi sunt exitus. Quare propter mandatum Dei, & propter multas utilitates vitent nostri auditores conuiuia, qualia fuerunt Centaurorum & Lapitharum. Et si qui delinquent ebrij, durius à nobis punientur.

D E C I M A.

VT in hoc Oppido tranquillitas maior esset, sapientes principes Duces Saxoniae Electores, quo pauciores